



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

15. Deo non secus ac Aureliano, ob fortitudinem laudes dicendas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

præter cetera mirabilia mutati vultus signa, ei labrum inferius  
scindi solitum cum copia multa sanguinis. Defunctus est hic  
heros anno ætatis LXIII. Christi MCCCCLVI. die Ianuarij  
XXVII.

XV.

Sapi. 13. 3.

Horum talium vel immanitas corporis, vel animi ma-  
gnitudo, ostendit, quanta sit Dei magnitudo. Hercule enim,  
& Orionem, ob talia, ad sidera vsque transtulerunt. Quorum  
si specie delectati, deos putauerunt: sciant quanto his dominator ce-  
rum speciosior est. Speciei enim generator hac omnia constituit. Ant  
si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam  
qui hac fecit, fortior est illis: à magnitudine enim speciei & creatu-  
re, cognoscibiliter poterit creator horum videri. Qui proinde in  
illis etiam est laudandus. Et utique artificem laudat, qui opus  
illius laudat. D. Aurelianum, memorat Flavius Vopiscus sta-  
tura procerum, & neruis validissimis fuisse, viturque testimo-  
nio Theoclij, manu sua, bello Sarmatico, vna die quadragin-  
ta & octo interfecisse; diuersis autem diebus, ultra nongentos  
quingenta. Ob quam fortitudinem pueri in Aurelianum  
cantiunculas composuerunt, & choros, quibus, diebus festis,  
militariter saltitarent, in hunc modum instituerunt. Mille,  
mille, mille; mille, mille, mille decollauimus. Vnus homo mille, mil-  
le, mille, mille decollauimus. Mille, mille, mille visat, qui mille,  
mille occidit. Tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis.

1. Reg. 18. 6.

Et cum Francos deinde domuisset, denuò cecinerunt. Mille  
Francos, mille Sarmatas semel occidimus. Mille, mille, mille, mille,  
mille Persas quarimus. Ad eundem ritum olim, cum reuertere-  
tur percusso Philisthæo David, egressæ sunt mulieres, de vniuersis  
urbibus Israel, cantantes chorosq; ducentes in occursum Saul regis,  
in tympanis lætitiæ, & in sistris. Et præcinebant mulieres ludentia  
atq; dicentes: Percussit Saul mille, & Daud decem millia. Quæ  
laus, cum homini daretur, Deo & Domino exercituum data est.

Iudic. 7. 20.

Qui enim agnoscunt, vnde veniat fortium fortitudo, clamant:  
Gladius Domini, & Gedeonis. O quàm ingrati, & quàm horum  
immemores sunt, qui multos audiunt præclaros in bello viros,  
& factis verè gigantes, insignia facinora edidisse, neque ta-  
men idcirco Deo laudes gratesque dicunt! Quid in paruis fa-  
cient,

cient, qui neque corpora, neque facta magna nôrunt æstimare? Aliter ille censuit, qui dixit: *Dominus fortitudo plebis suæ;* Psal. 27. 8.  
& alter: *dedit Dominus ipsi Chaleb fortitudinem.* Quam quia Eccli. 46. 11:  
Deus dat, à Deo petere; & si dedit, Deo in acceptis referre debemus, neque de corporis proceritate, statura, viribusque insolescere; ne donis illum suis offendentes, ad iram & vindictam prouocemus.

Quippe etiam in his potentiam suam facit manifestam, XVI.  
vt dicere debeamus: *Non est fortis sicut Deus noster;* coram 1. Reg. 2. 2.  
quo, *gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ.* Ita enim, Luc. 1.  
potens est, vt potentes deponat de sede sua, & excelsos hos possit Baruch. 3. 25.  
humiliare. *Magnus est, & non habet finem; excelsus & immensus:* Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, statura magna scientes bellum. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplina inuenerunt: propterea perierunt. Demonstratum est hoc in illis, qui dixerunt: *Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad calum, & celebremus nomen nostrum.* Sed diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessauerunt adificare ciuitatem. Ex qua historia Poëtæ fabulam texuerunt, de terrigenis gigantibus, qui regnum cæleste affectârunt, & tentârunt Deos inde detrudere. Apud quos coniu-rati calum rescindere fratres,

*Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,*  
*Scilicet atq; Ossa frondosum imponere Olympum.*  
*Ter pater extructos deiecit fulmine montes.*

Virgil. lib. 1.  
Georg.

Fingunt etiam, huius rei causa, Deos omnes mutatis formis delituisse,

*Emissumq; ima de sede Typhoea terra*  
*Cælitibus fecisse metum, cunctosq; dedisse*  
*Terga fuga.*

Donec ad Phlægram

*Iuppiter omnipotens misso perfregit Olympum*  
*Fulmine, & excussit subiectum Pelion Ossa;*

Ouid. lib. 1.  
Metam.

Sepultaque sunt totis montibus dira periurissimorum mortali-um corpora. Ac vt appareret, potentes potenter tormenta passuros, (*Fortioribus enim fortior instat cruciatio*) Sapi. 6. 9.